



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 41. Philippi III. literæ ad Clementem VIII. Papam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Sæcul. XVI. dignam piissimi hujus Principis vitam
A.C. 1598. mortemque maculare non erubescunt.

§. XLI.

Philippi III. literæ ad Clementem VIII. Papam.

Gallut. l. 10. **Thu. p. 832.** Decima quarta Septembris, seu altera post Philippi II. obitum die Philippus III. ejus Filius, regnique hæres summum Pontificem Ferrariæ agentem literas dabat, quibus illum de amantissimi Parentis sui morte certioreme debat, & omne obsequium, debitamque submissionem Sedi Apostolicæ pollicebatur, simul enixe supplicans, ut vicissim summus Pontifex illum summo mæro obrutum paterni solatii beneficio honorare vellet. Acceptis obsequiosis hujusmodi literis mox Clemens Papa convocato Purpuratorum conventu fusius in defuncti Regis laudes excurrens in hanc sententiam perorabat; “ Tam prudentis, ac religiosi Principis excessu Ecclesia Christi magnam fecit jacturam: erat enim ille æneus pro populo Dei murus perpetuo ejusdem hostibus obiectus: illius vita continua fuit pugna pro fide Catholica: Religionis tutelæ studio, cultuque pietatis nemo præter eos, qui jam immortales in cælo regnant, cum eo comparari valet: duplex tamen in mærore tam communi
 „ nobis

Sæcul. XVI.
A.C. 1598.

„nobis suppeditatur solatium: alterum,
„quod a defuncto Rege singulari cum
„pietate peracta vita, & excepta mors,
„æternæ felicitatis ab eodem compara-
„tæ prope certam faciant fidem: alte-
„rum vero, quod in tot administratione
„Regnorum ei legitime succedens Phi-
„lippus Filius, ad exemplum tanti Pa-
„rentis educatus, spem omnibus det non
„minus egregiarum virtutum, quam in-
„gentis imperii hæres sit futurus. „ In
hanc quoque sententiam Pontifex ad
eundem rescripsit, ac insuper Ferrariæ
die decima tertia Octobris solemnes pro
Rege exequias celebrari iussit, laudes
illius deprædicante Alexandro Burgio
sancti Sepulcri Episcopo; porro ipse Phi-
lippus biduo post datas hæc literas ve-
spertino tempore ad S. Hieronymi, Isa-
bella vero ad Discalceatarum Virginum
Asceterium secessit, donec ad exequias
regali pompa celebrandas cuncta rite
parata essent: hæc autem die decima oc-
tava Octobris inchoatæ fuerunt, præ-
sentibus Rege, ejusque sorore, cunctis
Præsulibus, Proceribus, Equitibus, Au-
læ Ministris, Roderico Cardinali Hispa-
lensi, necnon Pontificis, Cæsaris, & Se-
natus Veneti Oratoribus, ubi defuncto
Regi Terrones Aquilaris oratione fune-
bri parentabat, illum præcipue com-
mendans ob virtutem, vitæque sanctita-
tem

Sæcul. XVI.
A.C. 1598.

tem, quam veluti avitam, & hæreditariam in ejus familia hucusque extitisse affirmabat, cum ex Philippi prosapia octo in Sanctorum numerum relati numerarentur, scilicet SS. Arnulphus, Bertha Arnulphi Nurus, Guilielmus Aquitannix Dux, Ludovicus IX. Isabella Lusitanix Regina, Milcolumbus III. Scotiae Rex, Margarita, Mathildis Bononiensis, quibus accenseri merentur sanctus Pelagius, & Ferdinandus V. Hispanix Reges, quorum in regna successit Philippus.

§. XLII.

Solemnes nuptiæ Regum Hispaniæ, & Belgii Principum a Papa consecratæ.

Thu. l. 121.
Gallus. l. 11.

Percepto Hispani Regis obitu Albertus Austriæ Archidux iter suum magis accelerabat, ac per Bavarix fines Oenipontum delatus obviam habuit Margaritam Austriacam, Philippi III. sponsam unacum Maria ejus Matre, quibuscum Tridentum profectus, in Venetæ, Mediolanensis, & Genuensis ditionis finibus perhonorifice excipiebatur; postquam vero hi Principes ad oppidum cui Bussulengo nomen, pervenerant, a Petro Cardinali Aldobrandino summi Pontificis nomine salutabantur, atque in Urbem Ferrariensem, ubi eos Papa præ-